

lica minus fulgeat et color optimus in cultu diuinę religionis speciem decoris sui mutauerit? In illa ecclesia, [21]quę caput et cardo est omnium ecclesiarum, ubi iusticia aliquando habitabat, nunc ambitio ceca regnat. Vnde nimirum uirgam uigilantem, celestis irę uindictam comminantem, quam uidit propheta (Ierem. 1, 11) super hierusalem, nos uidemus et dolemus extendi super ecclesiam iuxta illud propheticum: In omnibus his non est auersus furor eius, sed adhuc manus eius extenta (Is. 5, 25). Et utinam paterne correptionis hæc uirga sit, qua uisitat dominus iniquitates filiorum, et non potius uirga ferrea, qua tamquam uas figuli, uas reprobum confringuntur (Ps. 2, 9) illi, in quibus est scissura mentium, qui ab unitate matris ecclesię diuiduntur. Plena formidinis est ea percussio, qua non ad sanitatem proficit correptio, quia insanabili plaga districta animaduersione illos diuina censura percutit, de quibus dominus per prophetam dicit: Frustra percussi filios uestros, disciplinam non receperunt (Ierem. 2, 30). Sed quia ignoramus, utrum in sorte filiorum paterna correptione digni habeamur, an inter illos deputemur, quos tenet superbia, qui in labore hominum non sunt et cum hominibus non flagellabuntur (Ps. 72, 5), inter spem ac metum trepidi, percussione nostre remedium queramus, gemebundi cum propheta clamantes ad dominum: Quare, domine, percussisti nos, ita ut nulla sit sanitas? Expectauimus pacem et non est bonum tempus, tempus curationis, et ecce turbatio (Ierem. 14, 19). Ecce percussit dominus anathemate terram (Mal. 4, 6), ecce peccatis exigentibus percussit filios ecclesię in capite, nec adhuc tam dirę percussione uulnus ad sanitatem rediit. Vulnus et lior et plaga tumens non est circumligata nec curata medicamine neque fota oleo (Is. 1, 6). Quomodo ergo languente capite non omnia ecclesię membra uehementer doleant? Quomodo totum corpus ecclesię de sui capitis detrimento non contristetur? Sed ne ipsa capitis nostri infirmitas in desperationem nos ducat, ne supra modum nos tristitię meror afficiat, consolatur corda nostra ipse dominus qui dicit beato petro: Ego pro te rogaui, petre, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos (Luc. 22, 32). Nunquam ergo deficiet fides petri, nunquam deerunt tales in ecclesia, qui in parte petri infirmiora ecclesię membra uerbo et exemplo confirmant. Potest aliquando infirmari, sed nunquam deficiet fides petri. Nam nimis est confortatus apostolicę sedis principatus (Ps. 138, 17). Interim uero, dum petrus oculis nostris subtrahitur, dum cathedram suam tenere minime